

[1]

**Pharos famae naufragantis
D. JOANNES NEPOMUCENUS**

Pro theatro exhibitus ab infima classe grammaticae
Neo-Pragae anno 1730, mense ..., die ...

ARGUMENTUM

Ingloriam voluit Divi Joannis Nepomuceni mortem Wenceslai Regis Bohemorum crudelitas, quando sub ipsas noctis tenebras e ponte Prageno in subjectum Moldavam praecipitem dedit; sed gloriosam reddidere lumina, quae Joanneas exuvias aquis innatantes tanto comitatu cingebant, ut totus Moldava relucere visus fuerit. Monstrasse haec una videri poterant, quo famae naufraganti confugiendum esset, quae hodiedum (quod praecipuum actionis praesentis est argumentum) non modo sceleris pura, sed et rea D. Joannem Nepomucenum multis testimoniis suum experitur Servatorem et Patronum. Ex P. Balbino, l. IV. Miscellaneorum.^a

PROLUSIO

Famam in mundi pelago naufragantem Pharos Joannes excipit et incolumitate donat.

INDUCTIO I.

Astraea Affectui Joanneo et Veritati, fidissimis consiliariis, tradito sigillo supremam rei judicariae committit potestatem. Recreatur hoc nuntio afflita Innocentiae fama.

INDUCTIO II.

At Calumnia sorti suaे metuens comite Mendacio et Invidia tribunalia subintrare decernit, Veritatem et Justitiae zelum simulatura.

[2]

INDUCTIO III.

Joanneus porro Affectus pro potestate decretum sigillo munit, quo Innocentiae famam hucusque vinculis pressam libertati afferit.

INDUCTIO IV.

Superveniens Calumnia totius rei seriem a Reatu par Joannei Affectus expertente auxilium edocetur; inde excitato tumultu effractos custodiae postes promulgans, do-

Inductio III. hucusque] hujusque *PFN*.

^a Balbinus: *Bohemia Sancta*, s. 94–113.

lose Justitiae zelum simulat. Invidia adversus Justitiam conspirans thronum Astraeae eidem ominatur.

INDUCTIO V.

Reatus, extimulante atque libertatem promittente Mendacio, Innocentiam effractae vi custodiae authorem asserit; capitum haec et litteras libertatis suae testes exhibens tamquam falsificati sigilli rea compeditur. Veritas partes ejusdem tuita ut complex exilio multatur.

INDUCTIO VI.

Condemnata Veritate Joanneus Affectus potestatis suae sigillo novum decretum munit, quo nequam consiliarios a Vigilantio captivari jubet.

INDUCTIO VII.

Reatus promissam a Mendacio libertatem inter jurgia exigit, quod a superveniente Vigilantio frustra reclamans, captivatur, Reatu interim inter tumultum opportunam fugiendi nanciscente occasionem.

INDUCTIO VIII.

Indigne fert Astraea captum Justitiae, ut putat, zelotem, quem dum revocat, ab interveniente cum Veritate Joanneo Affectu fraudum esse auctorem edocetur, inde mutato consilio artius hunc stringi, Innocentiam vero acciri jubet.

INDUCTIO IX.

Calumnia Innocentiam, rata esse Mendacium, de superato carceris squallore gratulatur et extremam Astraeae inferendam esse perniciem decernit; sed incaute exitum rei praestolans, in vincula conjicitur.

INDUCTIO X.

Ibi torta complices fatetur Mendacium et Invidiam, Reatus falsa testimonia detegit; qui ubique inquisitus, dum nuspianum tutum se cerneret, sub Joannei Affectus confudit patrocinium.

INDUCTIO XI.

Dictato in nequam consiliarios suppicio Innocentiae nominis gloria et litterae libertatis testes redduntur, Joanneo vero Affectui inpraemium, quidlibet de Reatu statuendi potestas datur; hic utpote clienti famae integritatem cum libertate donat, applaudente Astraea, congaudente Innocentia.

EPILOGUS

Exhibito Divi Joannis Nepomuceni Moldavae incumbente colosso, non modo innocentes, sed et reos exhortatur, naufragante nominis boni fama, ad hanc Pharum esse confugiendum.

A. M. D. G.



Sv. Jan Nepomucký jako patron Čech a Říše.